





DIET. HERM. KEMMERICHII, JCTI,

SERENISS. SAX. DVCVM STIRP. ERNEST. CONSIL. AVL.

COD. ET NOVELL. PROF. P. CVRIA PROVINC. SAX.

FACVLT. IVRID. ET SCABIN. ASSESS.

ORDINIS SVI H. T. PRO-DECANI

22

1735, 9

PROGRAMMA

DE

211

MVNERE

ADVOCATORVM  
HONORIFICO

DISPVTATIONI IN AVGVRALI

NOBILISSIMI IVRIVM CANDIDATI

FERDINANDI ADAMI HERMANNI,

COBURGO - FRANCI,

REGIMINIS SAXO-COBVRGENSIS ADVOCATI,

DE  
PROSOPOLEPSIA ADVO-  
CATORVM  
PRAEMISSVM

---

JENAE,  
LITTERIS MVLLERIANIS.

---

DOMINIINIS MAGNUS RECTUS  
CONCEPTUS EST IN DESPERA TIONE  
MODESTUS HABEAT SANCTUMINUS  
OPENDIT SANCTUMINUS VIR ESS*ER*  
PROGRAM*M*X  
DE  
MUNRH  
ADACATORUM  
HONORIFICO  
DISPATIGRINIT INAGARALI  
NEBULAM LIBUM CONSPIC*IT*  
FERDINANDI ADAMI HERMANI  
REGIMINS 1729. CONCEPTUS ACCORDAT  
PROSOPOTRIA ADO  
CATORUM  
MELLITRA

ETERRE MELLITRA



Onorificum ADVOCATORVM munus & olim, apud Romanos maxime, reputatum fuisse, & hodienum apud Germanos quoque reputandum esse, paucis edifferere animus est: dum, ad Dissertationem Advocati, ad Summos Jurisprudentiae Honores adspicrantes, inauguralem invitare, officia ratio exigit. Qui *Advocati* hodie audiunt, apud Romanos olim *Causarum Patroni*, salutati sunt. Quamvis, accurate loquendo, *Advocati* non nihil a *Patronis* differant, siquidem hi *Oratores* erant, causas clientum orando in Judicio agebant; illi vero *Jurisconsulti*, Jus Patrono suggestentes, vel reo amico praesentiam accommodantes (a) sequiori tamē ævo promiscue hæc nomina adhibita, iidemque *Advocati*, modo *Causarum Patroni*, modo *Oratores*, modo etiam *Causidici*, appellati sunt (b). Nobilissima vero hujusmodi

(2)

modi

(a) V. ASCON. PAEDIAN. in CIC. Verr. I. & Divinat. CALVIN. Lexic. Jurid. v. *Advocat.*

(b) V. VLPIAN. l. i. §. *advocatos m. de extrod. crim.* GOTHOFR. ad rubr. *Cod. t. de Advoc. diss. Judicior.* GVELLIN. *de Jure Neviſſ. L. IV. C. 4.*

modi Advocatorum fuit origo: quippe ab antiquissimo,  
Reipublicæque Romanæ coævo, *Patrociniorum* institu-  
to arcessenda. ROMVLVS enim, primus Romanorum  
Rex postquam, urbe condita, cives in duos distribuit  
ordines, *Patricios* nempe & *Plebejos*: ad conciliandos  
conjugendosque mutua benevolentia animos, pote-  
statem fecit Plebejis, e Patricis sibi in Patronum co-  
optandi, quemcunque vellet, excogitatis in hunc fi-  
nem *Patronorum* & *Cientum* nominibus; ut Patroni qui-  
dem suscepitos in fidem Clientes adversus injurias tue-  
rentur, inque judiciis defendenter, ac juris legiunque  
scientiam docerent; Clientes vero Patronos, instar Pa-  
rentium, observantia & obsequio, aliisque officiis, co-  
lerent. Quin & his omnibus sanctius observandis Le-  
gem addiderat, a Decemviris postea in suas transla-  
tam Tabulas, hanc: PATRONVS SI. CLIENTI. CLIENSVE.  
PATRONO. FRAVDEM. FAXIT. PRODITOR. ESTO (c). Hinc  
igitur *Causarum Patroni* enati sunt. Regno euim in  
Rempublicam redacto, optimi ex Patriciis viri, elo-  
quentiae laude florentes, extiterunt, qui non solum  
Populi causas orarunt, verum etiam tentiorum e ple-  
be hominum, ad se confugientium, patrocinia, ad ex-  
emplum veterum Patronorum, gratis suscepere. Quo  
facto, cum plebejos istos non minore, quam veteres  
Patroni clientes suos, fidei observantiaeque cultu addi-  
ctos haberent: *Patronorum* & *Cientum* appellatio exinde  
in forum deduci, & ad Oratores, horumque auxilio  
utentes, transferri coepit (d). Hujusmodi Oratores non  
mino-

---

(c) V. DIONYS. HALICARN. *Antiqu. Rom.* Lib. iu. PLUTARCH. in  
*Vita Romuli*, FESTVS: *Patrocinia* appellari copta sunt, cum plebs  
distributa est inter Patres, ut eorum opibus tutta esset.

(d) V. BRUMMER Coram, ad L. Cinc. Cap. II. n. 10.

minorem sibi, patrocinis in foro clientibus praestitis,  
ac milites in bello victoriis reportatis, laudem ac gloriam conciliarunt, maximoque honore culti sunt (e).  
Imperatoribus quoque in pretio fuerunt ac honore Advocati atque Caesorum Patroni: id quod variae in Codice leges loquuntur, quibus egregia illis, cumpromis Fisci Patronis, elogia ac privilegia tribuuntur (f).

( 3 )

GER-

(e) Legi hac de re meretur AMMIANI MARCELLINI testimoniun Lib. 30. sribentis: Florebant elegante priscæ patrocinis tribunalia, cum Oratores concitæ facundia, attenti studiis doctrinarum, ingenio, fide, copiis ornamentiisque dicerdi pluribus eminebant: Nec minus apud Romanos Rutilii & Galba & Seauri vita, moribus, frugalitateque spectati, & postea per varias evi sequentis Censorei & Consulares multi, & Triumphales, Crassi & Antonii, & cum Philippis Scævole, aliisque numerosi, post exercitus prosperrime ductos, post viatorias & tropæa, civilibus stipendiiorum effusis floruerunt, laureasque fori speciosis certaminibus occupantes gloria honoribus fruebantur.

(f) Sic in L. 14. C. de Advoc. divers. judicior. Advocati non minus ac milites bene de humano genere mereri dicuntur. verb. Advocati, qui dirimum ambigua fata caesarum, sueque defensionis viribus in rebus sepe publicis ac privatis lapsa erigant, fatigata reparant, non minus providere humano generi, quamvis praliis arique vulneribus patriam parentesque salvarent. Nec enim solos nostro Imperio militare credimus illos, qui gladiis, eleypis & thoracibus nituntur, sed etiam Advocatos & militant namque caesarum patroni, qui gloriose vocis munimine laborantium spem, vitam & posteros defendunt: Sic in L. 1. C. de Advocatis div. Judicium, Imperator Advocatos, deposito advocationis officio, clarissimi primi ordinis comitis perfrui dignitate, voluit. Add. L. 2. 3. 4. 5. 6. C eod. ubi variis privilegiis, immunitatibus, ac elogiis, Advocati, cum primis Fisci Patroni, ornantur: Praesertim in L. 4. pr. laudabile ritaque hominum necessarium advocationis officium dicitur, quod maxime principalibus premiis oporteat remunerari; & in L. 6. clarissima eloquentie lumina Advocati appellantur. Facit quoque

**GERMANIS** antiquis maxime exosi fuerunt *Advocati* *Causidici*: cuius rei luculenta specimina cernere licuit, eum, post **QVINTILII VARI** stragem, mortuis quoque sœvi insultarunt (g). Nihilominus postea, sub **FRANCORVM** jam Regno, *Causidici*, *Clamatores* quoque dicti, eum jure formulario (h), in forum admisi fuerunt (i). Sed & mox aliud genus *Advocatorum*, a communi quidem *Causidicorum* cohorte distinctum, in nonnullis tamen affine, surrexit: Scilicet, qui Episcopis & Monasteriis, ab Imperatoribus dati, vel ab ipsis cooptati sunt: ut aduersus injurias Episcopatus & Monasteria, primum causas eorum in judiciis agendo, deinde & armata manu tuendo, protegerent, sed & jurisdictionem secularem in terris ipsorum exercerent;

atque

huc encomium, quo **THEODOSII & VALENTINIANI** Novella de *Postulando*, ab **ANT. PEREZIO** in *Prælect.* in *Cod. t. de Advocatis* div. *Judicior. n. 2.* excitata, *Advocatos* ornat, ita sonans. *Digni omnibus honoribus habeantur, qui Advocati esse meruerint: quo enim honore impares esse credimus eos, qui vita & eloquentia Reipublicæ & privatorum commodis deserviunt.*

(g) **QVINTILIVS VARVS** enim quum ausus esset, forum in Germania agere, & more Romano Jus Germani dicere, hi, ut primum togas causidicorum, & senviora armis Jura videbunt, duce Arminio, armis corruptis, alteram, post Cannensem stragem ediderunt Romanis, & in primis in causarum patronos intolerabilius insultarunt, aliis oculos, aliis manus amputantes. Unius os futum, recissa prius lingua, quam in manu tenens Germanus, Tandem, dixit, *Vipera, sibilare desiste.* v. *FLOR. L. IV. Cap. 12. 13.*

(h) De quo testantur *Formule*, a **MARCVLPHO** monacho collectæ,

(i) v. **CAROLI M. Capit.** ap. **GOLD. Conf. Imp. T. III. C. 8.** quod de *Clamatib[us] seu Causidicis* agit. & **LVDOVICI II. Regis** decretum in Comitiis Erfurt. a. 852. factum, quo *reitti sunt magistratus patrocinia vendere, aut cuiquam in sua prefectura adesse. Diminuta quoque sunt Causidicorum merces, quorum perfidia nihil venialis*; ap. **GOLD. Conf. Imp. T. I. p. 191. & T. III. p. 274.**

atque adeo honorabili & Protectorum, & Judicium  
munere fungerentur (k). Honorabile vero hujusmo-  
di Advocatorum munus existimatum fuisse, vel inde  
colligas licet, quod nec Principes, nec ipsi Imperato-  
res, talēm *Advocationem* in se suscipere designati fuerint.  
Verum de hujusmodi Advocatis hic quidem non est  
agendi locus, sed de Causarum Patronis, qui litigan-  
tibus in judiciis consilio & opera adiutant. An felicior  
futura fuisset Germania nostra, si nullus causidicus ad  
Judicia patueret aditus, (l) iam non disquiro. Id fal-  
tem negari nequit, hodie, postquam peregrina Jura,  
Romanum *Canonicum* & *Longobardicum* in Germaniam in-  
vecta sunt, ita, ut etiam illiteratis pro norma actioni-  
num negotiorumve sint agnoscenda, Germaniam Ad-  
vocatis jurium horum peritis carere haud posse. Et  
licet

---

(k) Talis erat TRUTMANNVS, quem CAROLVS M. *Advo-  
cum omnium Presbyterorum in terra Saxonia constituit, ac Virum  
Illustrēm vocat in Formula Constitutionis, ab HENR. MELEBO-  
NICO edita, & Notis ad WITTECHINDI *Appl.* L. 2. inserta.  
Extant quoque exempla causarum, ab Advocatis hujusmodi  
Monasteriorum in judicio actarum. Spectat huc exemplum  
litis, inter Archi-Episcopum Trevirensim Abbatemque Prumensem co-  
ram CAROLO M. pro Cella S. Goaris ventilata apud WANDAEB-  
ERT. de Miraculis ipsius Sancti; ubi Prumensis Cenobi *Ad-  
vocatus* Ratbertus *Causidicus Monasterii* appellatur. Extant et  
iam exempla duellorum, ab Advocatis in causis Monasterii  
susceptorum, ap. MABILLON. *Sect. III. Act. Ord. S. Benedicti P.  
i. n. nz. Add. CAROL. CANG. voce, *Advocatus*. MAGER, a SCHOEN-  
BERG de *Advocacia Armaria*. HERF. de orig. & Progr. spec. R. G. I.  
Rerump. §. 5. SCHILT. Ex. ad Pand. X. §. 8. SCHWEDERI Disp.  
de *Advocacia ab Imp. Protest. Eccl. non minus ac Rom. Cath. equalē  
jure præst.* P. t.**

(l) Quod generatim de omnibus affirmat Civitatibus I. LIB-  
SIVS Polit. L. ii. C. ii. Add. ZIEGL. Rabul. C. i. §. 17.

licet aliquando sub FRIDERICI III. imperio consilia in  
comitiis, de extirpandis penitus e judiciis Germaniæ  
Advocatis juris Romani peritis, agitata fuerint (m):  
res tamen exitu caruit. Facile enim perspexerunt Imperatores ac Proceres Germaniæ, laudabile utique ac  
honestum non solum, sed & utile ac necessarium Advocatorum munus hodieque in Germania censendum:  
ut scilicet illi, qui, propter imperitiam juris, ipsi jus  
suum in judicio persequii ac tueri nequeunt, habeant,  
ad quos configiant, quos consulant, quique consilio  
& opera sua adversus injuriam eos defendant. Proinde uti adhuc hodie Advocati, præclare de Republica,  
æque ac privatis, justitiam suis patrocinis promovendo,  
merentur (n): ita dubitandum non est, quin iidem  
hodieque omni honore, digni sint censendi, quo  
& Patroni olim apud Romanos a clientibus suis culti  
fuerunt, & quo ipsi Imperatores Romani eosdem or-  
narunt.

---

(m) v. FRIDERICI III. *Reformat. Polit. d. 1.141*, ap. GOLD.  
Reichs-Sachzungen P. 1. ibi: Alle Doctores der Rechten, sie seyn  
geistlich oder weltlich im Heil. Röm. Reich. E. N. sollen auch  
fürbahrhin vor Gericht oder Recht nicht weiter reden schreiben oder  
der rath geben. Darum, daß sic Stieff. Väter, und nicht die  
rechten Erben des Rechten seynd. Dann sie nehmen ihm den  
rechten Grund der Wahrheit, und bringen durch ihren unordentlichen  
Geiz das Recht zu einem solchen Unglauben, daß kein  
Gromm Mann sein Vertrauen darein mehr setzen mag. Sed  
periniquam judicat hanc sententiam H. CORRING. de O. J. G.  
Cap. 32. quod, utui illi peritorum Romani juris ordini quedam per-  
mitta fuerint vitiligatoria ingenia, non tamen paucorum virtu totus  
landatisimus alias ordo profundi meruerit.

(n) Quod enim de suo tempore asseruit SYNESIS Episcopus Ptolemaidis, Epist. alt. idem adhuc hodie locum habet:  
Jura indigent patronis, beaque illi sunt, qui operam suam confe-  
runt, ut bonam causam adjuvent: Add. ZIEGL. de Rabulif. C I. S. 17.

narunt (o). Ad honorem quoque Advocatorum spe-  
ctat, quod, intuitu officii, e plebejorum confortio sint  
exempti, & cum primis illi, qui in Superioribus Judi-  
ciis in numerum Advocatorum sunt recepti, singulari  
*dignitatis* ac præcedentia prærogativa gaudeant (p):  
nec non quod, quicquid pro prestita opera illis a cli-  
entibus solvit, non mercedis, sed honorarii (q) no-  
mine veniat. At enim vero, facile liquet, elogia ist-  
hæc in honorem Advocatorum allegata, nonnisi pro-  
bis Advocatis, qui ex animo id agunt, ut justitiam  
promoveant, qui que adeo omnes veri justique causa-  
rum Patroni partes adimplent, jure competere. Longe  
aliter vero sentiendum, de talibus Advocatis, qui  
vel ignorantia, vel nequitia sua, justitiam potius per-  
vertunt, ac impediunt, quam promovent, qui que sibi  
potius, suæque vel avaritiae, vel ambitioni ac vindictæ  
cupidirati, quam clientibus, ac justitiae cause, patroci-  
nantur: qui opibus clientum magis inhiant, quam ju-  
ribus invigilant, atque lites malis artibus in infinitum

( ) ( ) pro-

---

(o) Idem probare videtur B. LUTHERVS noster, qui in *Ab-  
hortione quadam ad Scholares*, egregio hoc probos Juriscon-  
sultos & Advocatos encomio mactat: Die Juristen und Advo-  
caten in diesem weltlichen Reich sind solche Personen, so das  
Recht, und das weltliche Reich erhalten; und gleichwie ein from-  
mer Theologus und rechtschaffener Prediger in Christi Reich  
Gottes Engel, ein Heyland und Prophet, Priester und Leh-  
rer ist: Also mögte man einen frommen Juristen im weltlichen  
Reiche des Kaysers Propheten Engel und Heyland heissen.

(p) Conf. IO. CASP. IVNGMICHEL *Advoc. Sax.* Cap. VII. de  
*Privilegiis Advocati Saxon.*

(q) vid. CALVIN. *Lex. Jur. voce, Honorarium*, ubi ab eo  
dictum notat, quod, pro mercede, ad honorem eis tribueretur.

protrahunt, ut habeant, de quo vicitent quam diutissime, & cum damno clientum locupletentur (r): qui, donis corrupti, utrique parti patrocinantur, adeoque eorum, quorum defensores ac patroni videri volunt, proditores sunt: vel, qui iustitiae causæ suæ diffisi, hoc pacto Judicem corrumpere conantur, atque si juribus & rerum argumentis vincere nequeant, argento faltem & munieribus eundem de iustitia causæ suæ convincere satagunt: qui, ut victoriam reportent, clientes ad omnia etiam verissima contra conscientiam neganda, imo ad falsa & perjuria committenda, seducere, non dubitant: qui, jure destituti, convitiis, non legibus, pugnant, ac, si obtinere non posint, quod volunt, vel maledice linguae impudentia, vel styli aculeati petulantia, qua & Judici & adversario insultare non erubescunt, gloriolam quandam captant, vel falem oris procacitate, ac inepta garrulitate, omnibus mo-

---

(r) Quales describit Poëta his verbis:

*Quos criminosa lingua nutrit & pescit,  
Vitalis avi quam diu trahunt lucem.  
Tori togatos vultures dicas,  
Picasque inerter, aut monedulae veras,  
Auri sequaces, pellices crumenarum,  
Hirundinesque patrimonii lauti.*

Has artes cum non didicisset junior quidam Advocatus, cui Veteranus Socer aliquot processus, sive lites pendentes, doctis loco dederat, ille vero brevi tempore has ad finem perduxisset: increpatus hoc nomine a Socero ac stulticitæ insinuolatus fuit, quod ipse per multos annos subsidia vita exhibitus sibi comparaverit.

molestiani creant: verbo; qui improbitati suæ ac prævis cupiditatibus & conscientiam, & fidem & religio-  
nem, & quid non? litant. Hujus furfuris homines,  
uti Rabulæ potius, quam Causarum Patroni, vocari  
merentur (s), atque adeo honorifico Advocatorum  
munere seſe indignos reddunt: ita non solum in hac  
vita poenas ſæpe nequitiae luunt (t) vel faltem infa-  
miæ facti labem (u), apud viros honestos atque cor-  
datos contrahunt; sed etiam post hanc vitam, non  
in

) ) ( 2

---

(s) Cujusmodi Rabulas ac Pseudo-Advocatos vivis coloribus  
depinxerunt CASP. ZIEGLERVS in *Rabulistica*, sive de *Artibus*  
*Rabulariis* Dissert. Dresd. an. 1685. nec non MICH. HOLTER-  
MANNVS in Dissert. de *Nequitia Advocatorum*. Marp. 1679. &  
AHASV. FRITSCHIVS in *Advocato peccante* Vratisl. an. 1678.  
edit.

(t) Extat hujusmodi poena, nempe *Interdictio advocationis*,  
in L. 5. C. de Postul. ibi: *Si qui advocateorum existimationi sue*  
*immensa arque illicita compendia præculisse, sub nomine honoriorum*  
*ex ipsis negotiis, que euenda ſuſcepint, emolumenta ſibi certe par-*  
*tis, cum gravi damno litigatoris & depredatione poſcentes fuerint*  
*inventi: placuit, ut omnes, qui in hujusmodi ſevitate permanerint,*  
ab hac PROFESSIONE penitus ARCEANTVR. Add. ELECT. SAX.  
Mand. de a. 1662. Wider der Advocaten Unbescheidenheit. ic. Fürſl.  
Sächſ. e Gothaſch. erneuerte und verbesserte Advocaten-Ordn.

S. 7. 14.

(u) vid. L. 6. §. 1. C. de Postul. ibi: *Ante omnia autem univer-*  
*si Advocati ita prebeant patrocinia jurgantibus: ut non ultra, quam*  
*litium poſcit utilitas, in licentiam conviciandi & meledicendi tem-*  
*ritatem prorumpant; agant, quod cauſa deſiderat, temperent ſe ab*  
*iaſuria. Nam ſiquis adeo proeaux fuerit, ut non ratione, ſed pro-*  
*bris putet eſſe certandum: OPINIONIS ſuę IMMINVTIONEM*  
*patietur.*

in cœlo (x), sed in inferno (y), improbae advocationis  
mercedem accipiunt.

Meliora utique sperare possumus de  
NOBILISSIMO IVRIVM CANDIDATO,  
**DNO. FERDINANDO ADAMO**  
**HERMANNO,**

COBURGO-FRANCO:  
REGIMINIS SAXO-COBVRGENSIS ADVOCATO,  
quippe

(x) Indicare hoc videtur fabula de s. IVONE, Advocato olim  
sanctissimo, qui, postquam in celos electus fuit, scalam secum  
attraxisse fertur, neque adeo post eum quemquam Advocata  
torum in cœlum adscendisse, creditum. Sed nimis generalis est  
fabula, neque adeo ad probos Advocatos porrigenda. ap. ZIEGL.  
in Rabul. præfat. Idem indigitare videtur OWENVS, quamvis ita  
generalius justo loquutus, ita canens:

*Causidicum in celis unum (inquit Paulus) habemus,  
Præter eum, num qui sunt ibi Causidici?*

(y) Satis quoque dura est illa CHASSANAEI de Regn. mund.  
in Confid. l. n. 65. p. 1. allusio de grege porcorum, quos, uti  
narrat, cum rusticus in suile agere non posset, indignatus  
exclamavit; Ex his tandem in castellum, scuti Procuratores & Ad-  
vocati in infernum descendunt: & illico gregatio omnes introie-  
runt. Quo dicto IO. PETR. ALA in Tr. de de Advoc. & caus.  
P. II. Exhort. 3. tanto se stupore perculsum, ait, ut ab advocatione  
prosorsus desistere decreverit. Forte nec alienum erit, hic referre,  
quod de Advocato quodam, injustitia fama celebrato,  
mihi relatum est: Scilicet eodem agro decumbente, schedu-  
lam, in loco Civitatis publico affixam repertam, suisse, cui se-  
quentia in scripta fuerint verba;

*Ihr Herrn Advocaten und liebe Gesellen,  
Hat jemand in der Hössle etwas zu bestellen,  
Der stelle sich morgen in meiner Wohnung ein,  
Um 3. Uhr wird die Abfahrt seyn. N. N.  
Et eadem hora eandem animam efflasse, ferunt.*

quippe qui, ut honorifico Advocati munere sese dignum redderet, non solum litterarum studiis, cum primis Jurisprudentiae, sedulam navavit operam, sed & probitatis ac honestatis studiosum, ab ineunte aetate sese exhibuit. Testatur hac de re curriculum vitae, quod vocant, ab ipsomet sequentem in modum scriptum:

Ego FERDINANDVS ADAM HERMANN,  
Coburgo-Francus, natus sum in Franconia & qui-  
dem Coburgi, die VII. Maji M DCC XI. Patre  
JOHANNE CASPARE HERMANNO,  
Magistro lignorum & Scriba Cameræ; nec non  
Matre SOPHIA AMALIA, Filia M. BALTHA-  
SARIS FRÖMMANNI Pastoris Grossen-Garnstad-  
tensis, jam M DCC XIII. pie defuncta. Hi pa-  
rentes mature cum summa diligentia ad pietatem  
pariter ac honestatem me educavere, itemque Prä-  
ceptoribus Scholæ Senatorie, quæ ibi floret, ut &  
privatisimis institutionibus tradiderunt. Deinde  
Illustre Gymnasium Academicum, eadem in civita-  
te florens, adii, ductu & auspiciis Directoris D. VER-  
POORTENII (qui Gedanum dein vocatus est,) ac Pro-  
fessorum D. GIHNLEINII, D. HEIMREICHII beate mor-  
tui L. SCHWARZII (jam D. & Directoris) M.  
EHRENBERGERI, M. SCHVBARTI, Scholas, in latinis  
& græcis linguis, philosophia & principiis juris-  
pruden-

prudentia; per quinquennium ferme frequentavi.  
Huic postquam oratione de Oraculo Delphico vale  
dixi, initio M DCC XXXI. anni in inclytam banc  
Salanam jussu Parentis me contuli, in qua per tri-  
ennium in Philosophicis, Jure Naturali, Civili, Cri-  
minali, Feudali, Canonico, Publico, ut & Practi-  
cis, Viros Illustres, Magnificos, Excellentissimos,  
Consultissimos Doctissimosque, Dominos, BECKIVM  
beata memoria, KEMMERICHIVM, BRVNQVELLIVM,  
HERTELIVM, SCHMEIZELIVM, BVDERVM, DITMARVM,  
REVSCHIVM, KAMPERVM, DRESSELIUM beatum &  
STENGERVM, audivi. Finitis studiis Academicis,  
in patriam redii; ubi d. 7. Decembr. 1734. in  
numerum Advocatorum Ill. Regiminis Ordinariorum  
receptus sum. Tandem gradum Licentiati ab Illustri  
Ordine Juridico in bac Academia Jenensi mibi confe-  
rendum, ea, qua par est, modestia expetui.


Nos honestis ipsius precibus assurgere, atque pri-  
mum ad consueta examina, deinceps, cum in his pro-  
gressus, quos in Jurisprudentia studio fecit, egregios,  
satis nobis probasset, ad Dissertationem quoque inaugu-  
ralem, eundem admittere non dubitavimus. Quam  
cum craftina luce, sub Praesidio MAGNIFICI ACADE-  
MIAE PRO-RECTORIS, Viri Excellentissimi atque Consul-  
tissimi, Domini IOH. FRID. HERTELII, IVRISCONSUL-  
TI ac ANTECESSORIS hujus Academiae CELEBERRIMI,  
Sogeri jam sui venerandi, publica disquisitioni sub-  
jicere

hicere decreverit: meum est, & MAGNIFICVM ACADE-  
MIAE EX-PRORECTORUM, & ILLVSTRISSIMOS COMITES,  
& PROCERES ACADEMIAE VENERANDOS, & Cives Aca-  
demia generosissimos ac ornatisimos, & Hospites o-  
mnium ordinum honoratissimos, ad Actum huncce,  
honorifica sua præsentia, illustriorem splendidiorem-  
que reddendum, qua decet, observantia ac  
humanitate, invitare. P. P. Jenæ  
A. MDCCXXXV. d. XV. Febr.









Jena, Diss., 1734-35

ULB Halle  
005 360 781

3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Farbkarte #13

Cyan

Blue



DIET. HERM. KEMMERICHII, JCTI,

SERENISS. SAX. DVCVM STIRP. ERNEST. CONSIL. AVL.

COD. ET NOVELL. PROF. P. CVRIA PROVINC. SAX.

FACVLT. IVRID. ET SCABIN. ASSESS.

ORDINIS SVI H. T. PRO-DECANI

22

1735,9

## PROGRAMMA

DE

MVNERE

# ADVOCATORVM HONORIFICO

DISPVTACTIONI INAVGVRALI

NOBILISSIMI IVRIVM CANDIDATI

FERDINANDI ADAMI HERMANNI,

COBURGO - FRANCI,

REGIMINIS SAXO - COBURGENSIS ADVOCATI,

## DE PROSOPOLEPSIA ADVO- CATORVM PRAEMISSVM

JENAE,  
LITTERIS MULLERIANIS.